150

ARHIVELOR STATULUI ... DEPOZIT

Nos Sigismundus Bathory de Somlyo Vaiuoda Transsyluaniæ et Siculorum Comes etc. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes
quibus expedit vniuersis, Quod nos dignum et honorificum habentes respectum præclaræ fidei integritatis, et fidelium seruitiorum Egregij Joannis
Forro de Haporton Comitis comitatus Albensis, quæ ipse iam inde ab initio, huic regno Transsyluaniæ et principibus ejusdem prædecessoribus sci-
licet nostris ac postea nobis quoque pro locorum et temporum varietate, summo semper studio cura, diligentia, labore et animi sui promptitu-
dine, atque constantia exhibuit, et impendit, ac in futurum quoque exhibiturus et impensurus est. Alijs etiam certis honestis, et rationabilibus de cau-
sis ad id inducti, totalem et integram portionem nostram possessionariam in possessione Nagy Chalambfalwa vocata in sede Siculicali Udwar-
helyensi existentem habitam, hactenus ad arcem nostram Udwarhely pertinentem et possessam, totum item et omne ius regium, si quod in ipsa portione pos-
sessionaria qualitercumque existeret aut eadem et idem nostram ex quibusuis causis, vijs modis et rationibus concernerent collationem, simul cum cunctis
suis vtilitatibus, et pertinentijs quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris pratis, pascuis campis, fœnetis, syluis, nemoribus mon-
tibus, vallibus [illegible] vineis, vinearumque promontorijs, aquis, fluuijs, piscinis, piscaturis, aquarumque decursibus, molendinis et eorundem locis, ge-
neraliter vero [illegible] cuiuslibet vtilitatum et pertinentiarum suarum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad eandem portionem
possessionariam [illegible] regium in ipsa qualitercumque habitum de iure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, sub suis veris metis et anti-
quis limitibus existentibus, demptis tamen primoribus, primipilis, peditibusque pixidariis, si qui forte ad vsum regni publicum delecti ibidem
existerent ipsorum [illegible] iuribus, et hereditatibus, eos iuste et legitime concernentibus, memorato Joanni Forro ipsiusque heredibus, et posteritatibus vniuer-
sis, per viam [illegible] [illegible]ialis permutationis inter nos ac eundem Joannem Forro modo infrascripto facta, fauenter dedimus, donauimus et contulli-
mus ac concam[illegible] imo damus, donamus conferimus, et concambimus iure perpetuo et irreuocabiliter tenendam, possidendam, pariter, et habendam sal-
uo iure alieno. [illegible] [illegible]merso autem dictus quoque Joannes Forro coram nobis personaliter constitutus oneribus et quibusuis grauaminibus nobilis
Josephi Forro [illegible] et generosæ dominæ Catherinæ consortis Egregij Gabrielis Feoldwary de Keoreoz [illegible] ac nobilis puellæ Barbaræ
similiter Forro, sororum carnalium, necnon alterius etiam puellæ itidem Barbaræ neptis eiusdem Joannis Forro ex generosa quondam domina
Anna Forro consorte Egregij olim Pauli Katnay, sorore vero sua progenita, præterea vniuersorum etiam filiorum, et filiarum, si qui et quæ tempor[e]
in successu nascerentur, ac aliorum omnium, et singulorum, fratrum, proximorum et consanguineorum suorum, quos videlicet infrascriptum tan-
geret, et concerneret, tangereue et concernere posset negotium quomodolibet in futurum, per omnia super se assumptis et leuatis matura primum
intra se præhabita deliberatione, sponte et libere, ac vltronea sua voluntate, totalem et integram portionem suam possessionariam auiticam, in
possessione Zenasfaluy vocata, in comitatu Albensi Transsyluaniæ existentem habitam, hactenus per eum, quiete, continue et pacifice, legitimeque
possessam, similiter vna cum cunctis illius vtilitatibus suis, et pertinentijs quibuslibet, quouis nominis vocabulo vocitatis, ad eandem scilicet por-
tionem possessionariam de iure, et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, sub suis veris metis et antiquis limitibus existentem, quibus nos supra-
prænotatam portionem nostram possessionariam, ipsi Joanni Forro contullimus, præterea etiam vado seu transitu nauali, super fluuio Marusio
penes possessionem prædictam Zenasfaluy decurrente instituto, alijsque instrumentis ad id necessarijs, ac omni eo iure, quo idem Joannes Forro possedit
nobis præmissa concambij via, pro præscripta portione nostra possessionaria in perpetuum dedit, tradidit, commutauit, et perpetuauit personali-
ter sua astantia et eloquio proprio. Nullum ius nullamue iuris et dominij proprietatem, sibimet, aut præfatis, fratribus, sororibus, nepti fi-
lijs, filiabus proximis, consanguineis, heredibusque suis, in eadem portione possessionaria amplius reseruando, sed totum, et omne ius, totamque iuris
et dominij proprietatem, si quod, et quam ipse Joannes Forro et prædicti vniuersi in eadem portione possessionaria de præsenti haberent, vel se in fu-
turum habere posse sperarent quouismodo in nos atque eos, ad quos dominium ipsius portionis possessionariæ ex clementi collatione nostra quomo-
dolibet, deuolutum fuerit transferendo, et transfundendo pleno iure et cum effectu. Assumpsit nihilominus annotatus Joannes Forro se, ac he-
redes et posteritates eius vniuersas nos atque alios etiam legitimos possessores prædictæ portionis possessionariæ, in quieto et pacifico dominio
eiusdem contra quoslibet legitimos impetitores, turbatores causidicos, et actores, proprijs suis laboribus, cura, fatigijs, et expensis, cum per-
petua euictoria cautione tuitur[os], defensur[os], protectur[os] et conseruaturum. Harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum Albæ
Juliæ die octaua mensis Junij. Anno domini Millesimo Quingentesimo octogesimo tertio.

Sigismundus Bathori
de Somlio

Wolffgang Kowachoczy
Cancell.

1583 Jund.

X. 71.

71

Batori Sigmond Lona,
tiroja Selenbzelierol
forro fenost

27

1583. 8. Junii

1474